



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

CXXXIV. Das Kloster Diesdorf bekundet eine zum Ankauf von Andorf gemachte Stiftung einiger Conventualinnen, am 24. Juni 1360.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

CXXXIII. Das Kloster Diesdorf bekundet die Seitens Margarethens, Wittwe des Knappen Hennig von dem Knefbeck, geschehene Zuwendung einer Hebung in Andorf, am 24. Juni 1360.

Nos Johannes de Bok, Elyzabeth priorissa Totusque Conuentus sanctimonialium in Dystorpe omnibus hanc litteram visuris et audituris recognoscimus publice protestando, Quod honesta domina Margareta, Relicta strenui famuli henningi de knesbeke bone memorie, in remedium anime viri sui iam dicti et anime sue ac omnium amicorum suorum emit in villa Annendorpe alterum dimidium Chorum siliginis pro XXXIX marcis denariorum Lüneburchensium persolutis ad Officium Caritatis annis singulis de eadem villa in festo beati Martini Episcopi et confessoris perpetue percipiendum et tollendum; pro quo beneficio talis Officii amministratrix perpetuam memoriam antedicti henningi et vxoris sue Margarete in die beati Mathei apostoli et ewangeliste apud predictum Conuentum nostrum cum vigiliis et missarum sollempniis statuere iugiter obseruandam pro vtilitate tamen vel consolatione Claustri et Conuentus et pro diuisione denariorum in anniuersario prenotato, videlicet domino preposito solidum, cuilibet Capellano VI denarios et scolari tres, predictum alterum dimidium chorum distribuet, prout melius sibi videbitur expedire. In testimonium huius facti presentem litteram signauimus nostris cum sigillis, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. Sexagesimo, In die beati Johannis Natiuitatis Baptiste.

CXXXIV. Das Kloster Diesdorf bekundet eine zum Ankauf von Andorf gemachte Stiftung einiger Conventualinnen, am 24. Juni 1360.

In nomine domini amen. Nos Johannes de Bok prepositus, Elyzabeth priorissa Totusque Conuentus ancillarum christi in dystorpe Recognoscimus publice per presentes, Quod in christo nobis dilecte commoniales alheydis, Reynswidis et Sophia, filie frederici Brokeres pie memorie, Emerunt In villa annendorpe vnum quartale siliginis pro sex et dimidia marca lüneburchensium denariorum, In Empcionem dicte ville conuersis ad tempora vite sue annis singulis ad percipiendum et tollendum, in hunc modum, quod si vna uel due ex predictis obierint deo disponente, extunc vltima superviuens in toto dictum quartale percipere debet velud omnes; post mortem ipsarum trium predictum quartale spectat ad officium caritatis ad refectionem et consolationem dominarum pro memoriale omnium parentum suorum, Ipso die sacro In Exaltatione sancte crucis faciendam persone Caritatrici indubie de villa prefata non obmittatur in sempiternum ministrari, vt gauise huiusmodi refectionibus deum pro institutoribus fidelius deprecentur; predictum quartale ciues ville tenentur soluere circa festum beati martini Episcopi et confessoris. Vt autem singula prescripta maneant rata, presens hec littera sigillis nostri conuentus ficit solidata. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. sexagesimo, In die beati Johannis Baptiste Natiuitatis.